



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Historiæ sequentis authores & fides.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

S. Augustin.
epist. ad
Maced.

nuntiavit: Tria potissimum flagitia homines in perniciem trahere: superbiam, luxuriam, & avaritiam; sic tamen, ut per Sacramentum poenitentiae ex 100. superbis facile ad 50. ex 100. luxuriosis ad 80. ex 100. verò avaris, vix tres salventur, idq; ob annexam restitutionem, quae difficillima accidere solet. Notum est autem illud: Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. His omnibus addo ultimam classem eorum, qui salutem suam flocci facientes, vel semper assuescunt in vetera peccata relabi, unde & in ultimo agone, etiam confessi, in odium & vindictae appetitum, in delectationem Veneream, in blasphemiam relabuntur; vel certè non curant, ut vigilantes aduentum Domini expectent, sed toto anno non confitentur, immò toto quinquennio, decennio, & tempore longiore. Hinc, sine poenitentia, in fluminibus aut mari demerguntur; hinc in ebrietate lapsi cervicem frangunt; hinc ferro vel plumbo traiciuntur, & repentina morte occupati, antè se aeternum damnatos, quàm ferè mortuos reperiunt. Cuius id culpa accidit? nonne ipsorummet? Nam Christus fideliter monuit: *Vigilate, quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit.* Quae monitio tantò attentius est observanda, quia etiam pios, & doctis perseverantia non est promissa.

Matth. 24. 42.

C A P V T LXII.

Hominis docti & pij, sub mortem, à tentatione superati, meritò omnibus tremendum morituris exemplum proponitur.

I.



VBET nos Servator monendo & corripiendo fratres nostros lucrari, quorum vnus, ut generosus equus filo, aut virgæ umbrâ, vel nutu, vel verbo se finit regi ab altero solo; alius qui, ne feratur in vitia, freno; atque ut ad virtutem impellatur, calcaribus indiget: ac, ut pertinacibus caballis progredi nolentibus ignis subijcitur, ita Acheronticis flammis est excitandus. Quare cum illi vnus medicus non sufficiat, addit Christus, *Si autem te non audierit, adhibe adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* Quod & ego nunc faciam. Nam historia à me recensenda, ac fidei il-

Matth. 18. 16.

lius

lius, apud dubitantes, stabiliendæ, tres dabo testes, eosque integros, incorruptos, religiosos. Primus est Petrus Barocius Episcopus Paduanus, qui tres libros scripsit ediditque, de modis se se ad mortem præparandi, author æquè doctus ac pius. Alter testis est, Augustinus Viuus Augustinianum Ordinem professus, qui lingua Italica librum de studio veræ sapientiæ in lucem misit; in quo etiam D. Antoninum citat, qui meritò pro tertio teste potest admitti. Hi si non sufficiunt, adduco testem quartum, omni exceptione maiorem, eminentissimum Cardinalem Robertum Bellarminum, qui non dubitavit eandem historiam, tamquam verissimam, in exemplum, calamo describere, libroque suo inserere. Hos autem testes non eò tantùm collegi, ut rei auctoritas concilietur; sed etiam, ut (quia singuli compendijs vtuntur, & alij alia omittunt, alij alia referunt) constet, quid scribant vniuersi, neque, quod apud vnum non reperitur, ego autem ex alio habeo, videar meo ingenio affinxisse. Quamquam, quod Tacitum aliosque profanos Authores video passim facere, atque meo instituto maximè seruit, mores & documenta ex officio sim additurus. Historiam igitur ordior, quâ docentur morientes esse cautiore.

Paduæ, in celeberrima tunc Academia, aliquando, inter varios atque insignes, tum studiosos, tum Professores, duo maximè viri eminuerunt. Quatuor sunt, quæ in Academijs faciunt eminentes, diligentia, ingenium, eruditio, & pietas. Habeat ingenium aliquis, sicut Aristoteles; si desit diligentia, erit sicut gleba bona, sed inarata, in qua, vice frugum, spinæ crescent. Sit in aliquo diligentia, qualis in Cleanthe fuit; si careat ingenio, erit sicut qui domum ædificat in arena, aut sine fundamento; dies, & annos, oleum & operam perdet. In his duobus viris vtrumque fuit coniunctum, ut ingenium diligentia excoleret, & industria in saxo non seminaret. Quare neque fructus fuit desideratus. Nam, ut plerumque fit, eruditio respondit labori. Sicut enim militis præstantia, in congressu cum hoste se se exerit, ita istorum doctrina eluxit in publicis actibus Academicæ. Nemo illis acutiùs, nemo clariùs disputavit. Illorum aduentu omnes exhilarabantur; illorum argumentis omnes doceban-

Rrrr

ceban-

Petr. Barocius
lib. 3. de præparat. ad mortem.
Augustin. Viuus de studio veræ Sapientie. part. 4. cap. 9.
Bellarm. l. 2. de arte bene moriendi. cap. 9.

II.